



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1655**

§. 61. Ecce appropinquævit qui me tradet. v. 46.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

§. 61. *Ecce appropinquavit qui me tradet. v. 46.*

Postquam discipulos iam supremo in articulo periculi excitasset Dominus & eosdem surgere, atque semet sequi iussisset rationem dat ad celeritatem executionem valde opportunam: nimirum; quia Proditor appropinquasset iam, nec deceret discipulos pro Magistro suo & Domino & Deo minus esse vigilantes, quam capitalis hostis ejus cernebatur esse; quem ipse in spiritu aut etiam oculis corporeis iam cernebat non procul abesse. ô quanta hæc animi magnitudo! quam imperturbatus animus! quam sibi præfens, fidelis! ô si ego quoque in angustiis, in metu in periculis talis esse conarer.

**C**onforta cor meum Deus per hanc tuam magnanimitatem, & da sermonem rectum, recta facta & consilia sana, in os animamque meam in omni periculo meo. Da etiam Domine ut cum ego uti discipuli tui pericula mea non videam, saltem tibi & Vicariis tuis bene monentibus credam, & sic cum undique hostes appropinquant, & me perturbant seu mundus, seu caro & dæmon, quo manus eorum illæsus effugiam, tuo tuorumque consilio surgam cum discipulis tuis, & eam tecum generosè Tartareis hostibus obviam & passioni. In illo articulo obsecro da gratiam, & mitte spiritum sanctum tuum in me, quo confortatus, curram viam mandatorum tuorum & passionem cum tuis sanctis Angelis.

§. 62. *Adhuc eo loquente, ecce Judas venit unus de duodecim, & cum eo turba plurima. v. 47.*

Vix verba protulerat & ecce appropinquavit de quo dixerat. Aderat Judas unus de duodecim discipulis, non merito, sed titulo, nimirum re proditor, cum turba hominum sanguinatorum, luporumque crudelium, & illis sponte procedit obviam agnus.

**Q**uid hoc aliud est, benigne Iesu, nisi quod perfecta charitas foras misit timorem. ô Iesu dulcis amator hominum, quis amor cor tuum absorbit ut ad mortem veluti ad nuptias properes & hostibus perinde ac amicis procedas obviam! ô clementissime Deus, quem non hæc tanta charitas incendat: largire mihi obsecro hanc gratiam, adeoque meum accende desiderium, ut in eodem amoris ardore me ipsum funditus abnegem, vili pendam, & tam tibi quam propter te creaturis omnibus me subijciam quo vel sic obedientia tuæ resignationi & admirandæ humilitati aliqua ex parte respondeam.

§. 43. *Cum gladiis & fustibus missi à Principibus sacerdotum & senioribus populi. v. 47.*

Describit hic Evangelista quomodo & qualiter venerit proditor Judas

E

ad